

quia nec eius sententiam construunt, nec nostram destruunt. Ea diluamus, in quibus eam adstruere visus est voluisse, tum ibi, tum: proprio libro ad hoc dicato, cui titulum fecit, *De Insecabilibus lineis*. Quæ quoniam utrobique eadem fere sunt, omnia in hunc locum reiiciemus. Itaque illud primo asserimus, ipsum nullo tot librorum suorum loco, tot locorum numero, ullis rationibus probasse, continuum, seu magnitudinem, in infinitum dividi posse. Nam ubi de infinito disputat ex proposito, nullo modo id probat, sed a Mathematicis suppositum, assumit tantum. At probanda erant, et demonstranda ea, quæ et alii negant, et res ipsa negat; et nos quoque pernegamus. Itaque eo loci, nulla ei fides esto, apud veritatis quæsitores. Postea vero, cum continuum velle videtur deffinire, imposturam facit lectoribus. Neque enim quid sit continuum nos docet. Sed continua deffinit ea esse, quorum extrema sint unum. At continua ista duo, vel plura, erant ne continua, antequam eorum extrema in unum convenirent? vel continua non erant? Si continua non erant, ubi nam extrema habebant, antequam coirent? Nam si ipse dum contendit, rogat, ex indivisibilibus punctis, quomodo divisibile fiat? Nobis ipse respondeat, ex non continuis, quo modo continua sunt facta? Non continuorum, ostendat nobis extrema. Quid sunt extrema non continuorum? Sin vero affirmet, utrumque illud continuum fuisse; extrema habuisse: eaque in unum iunxisse, atque ideo continua facta esse, vel continua esse. Nihil horum nos urgemus. Sed illud ab eo rogamus, ut non plura continua. Sed unum tantum continuum nobis deffiniat. Sat enim id nobis fuerit; plura illa ei donamus. Igitur, quid est continuum? An respondebit, quorum extrema? Vel cuius extrema sunt unum? Si inquiet, quorum extrema; iam etiam ridebimus. De uno namque continuo quærimus. Si respondeat secundum, Continuum scilicet id esse, cuius extrema unum sunt, id uti falsissimum refutabimus. Extrema enim et linea, et cuiusque magnitudinis, duo sunt ad minus. Neque in unum coeunt unquam: sed maxime a se invicem semper distant. Ergo nisi aliam continui deffinitionem afferat, hanc sibi habeat, cum omnibus inde secutis. Si vero nesciat, aut nequeat, deffinitionem aliam afferre continui, iubebimus eum de continui divisione in infinitum, loqui desinere. Qui enim nesciat, quid continuum sit, quo modo scire potest, continuum in infinitum posse dividi? Aut quicquam de continui divisione loqui eum, qui asserat hoc etiam, in continuo, partes esse priores toto, ut sequentia quædam adstruat? Unde sequitur ei sophisma putidum, magnitudinem in ea dividi ex quibus est composita. Linea namque magnitudo quidem est, sed nullis ex aliis composita; non enim ex punctis, quod etiam ipse negat: nisi forte bene longam lineam, ex lineis minoribus componi dixerit. At minores istæ, et linea sunt, et continuæ ipsæ quoque, quarum continuitatis deffinitionem, ab hoc continuorum deffinitore perimus. Quam nisi nobis afferat, asseremus, quæcunque ex palliata illa continuorum deffinitione consecuta est strues, eam penitus ruere, cum Zenonio motu illo, non ininus udendo. Quæ vero integro alio libro, contra Platonis et Xenocratis, ut videri vult, atomas lineas, sunt ab eodem hoc magistro deffinitionum, disputata, non maiore labore diruemus. Nam quæ contra illorum rationes (quæ ad nostra tempora non pervenerunt) agitavit hoc loco, putamus ex more suo, non sincere eorum mentem retulisse; sed cavillis et sophismatis divexasse. Verum ipsius argumenta satis multa, quibus continui divisionem in infinitum adstruere, et lineas atomas destruere est annexus, destruemus facile. Ex eo initium sumentes, quod ipse contendit: Lineam non esse compositam ex punctis. Quo dogmate solo de XXIII eius argumentis ruunt sane XVI. Neque enim quisquam veterum, ne dum. Plato, aut Xenocrates, quantum ex antiquorum, testimoniis liqueat, id asseruit. Neque etiam ex linearum atomarum positione, id consequi potuit. Neque vero negamus solum, lineam scilicet ex punctis esse compositam, verum neque ex aliis rebus ullis, aut partibus, sed simplicissimam rem, eam esse affirmamus. Ex quo aliæ eius rationes ruunt quoque non paucae. Negamus autem maxime omnium, quod maxime omnium, et ipse, et Geometrarum affirmarunt filii. Lineam semper, atque in infinitum dividi posse, vel dividi posse in semper divisibilia. Hoc vero negamus, tum quod nec ipse, nec Mathematici ulli id ullis rationibus comprobarunt. Et quod sensus ei repugnat, et rei natura ipsa, et mentis humanæ raptus. Quod